



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Stella Mystica**

**Bonald, François**

**Coloniae, 1607**

De singulari Beatae V. pudicitia & quomodo à nobis imita[n]da sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10014**

velut in speculo, sed facie ad faciem, quemadmodum Beati eū contemplantur. Facigitur, ut ad illius cōspectum aliquādo perueniam, ō virgo mitis, ō virgo singularis.

VIRGO SINGVLARIS

*De singulari B. Virginis pudicitia, & quomodo à nobis imitanda sit.*

CONSIDERATIO.

**D**UBIVM non est, Anima fidelis, Beatam Virginem singularem fuisse in castitate, tum quia prima votum virginittatis emisit, tum quia virgo fuit dotata foecunditate. Est tamen & aliud quiddam in hac eius castitate singulare, nimirum quod omnes castitatis species in suprema perfectione in se habuerit. Prima castitatis species est, castitas virginarum: secunda, viduarum: tertia

*Tres casti-  
tatis speci-  
es.*

conjugatarum. Virginea castitas ad illos pertinet qui nunquam experti sunt, nec experiri voluerunt carnis voluptates, & commercia. Vidualis conuenit illis qui post coniugis obitum in perpetuo coelibatu & continentia vitam agere decreuerunt, aut vouerunt. Coniugalis ad illos spectat qui fidem in matrimonio datam inuolabiliter custodiunt. In his autem tribus castitatis speciebus multas inuenire licet imperfectiones. Nam reperiuntur virgines, viduae & coniugati, qui sint casti, qui libet in suis terminis, quoad corpus non quoad animam. Inueniuntur & alij qui quidem castitatem corpore & animo custodiunt, quoad actum extrinsecum: quem nec faciunt nec facere cuperent, pro vlla re totius mundi. Sed interim omnem sibi libertatem permittunt cogitandi, & etiam scienter delectationem capiendi in cogitationibus & desiderijs lasciuis & impudicis existimantes satis esse, vt communiter aiunt, honorem custodire. O  
ingen-

*Multis imperfectionibus per-  
uicacia sunt.*

ingentem errorem. At B. Virgo Maria, Anima Christiana, longè aliam suo exemplo nos docuit castitatē. Illa vixit in statu virginitatis: in statu coniugali: & in statu viduitatis. In primo antequam sancto Iosepho despōsaretur, & toto vitæ suæ mortalistempore. In secundo dum idem Iosephus, viueret. In tertio post illius ex hac vita discessum. Qualem verò putas fuisse virginitatem illius, antequam marito desponsaretur: quæ etiam in matrimonio virgo intemerata permansit? Anna vxor Helcanæ, cum precibus à Deo filium impetrasset, nomen ei indidit Samuelis: & templo illum consecrauit. Anna vxor Ioachimi cum similiter orationibus assiduis à Deo filiam obtinuisset, Mariam illam appellauit, ac in templo præsentauit, vbi educata fuit, ab omni hominum sæcularium conuersatione segregata, corpus & animam ab omni impuritate, atque in perpetua virginitate custodiens, vti S. Ecclesia testatur. Hic etiam voto per-

*B. virgo Maria qualem nos castitatem doceat*

*1. Reg. 1.*

*In officio de presentatione.*

H 5 peturæ

Petue virginittatis se obstrinxit, que admodum supra dictum est. Marito vero coniuncta, nonne vitam omnino virginalem duxit? Quis illam aliquando conspexit in visitationibus inutilibus, & recreationibus vanis & dissolutis transigentem?

*S. Bernard.  
serm 3. sup.  
miffus.*

Angelus illam solam & incomitam in cubiculo reperit, & quem admodum sancti Patres meditantur, in lectionibus, orationibus & cōtemplationibus pijs occupatam, conuersantemque cum Deo & Angelis. Cum etiam visitanda esset solatiij causa Elizabeth, Euangelium dicit eam cum festinatione iter hoc perfecisse. Vbi S. Ambrosius dicit:

*S. Ambros.  
in Lucam.*

*Mariam qua in domo sera erat, in publico fuisse festinam.* Non egrediebatur nisi cum ad templum processura esset, nec tum sine Iosepho, qui fidelis integritatis ac pudicitie custos ei assignatus erat. Post mortem vero Iosephi filio suo Iesu vt plurimum comitata erat. hunc sequebatur cum pijs & castis aliquot mulieribus, vt sermones illius audiret.

Filio

Filio mortuo, S. Ioann Euangelistæ  
semper adhæsit, qui virgo erat, &  
in virginitate toto vitæ tempore,  
secundum S. Ecclesiæ Doctorem o  
pinionem, permanfit.

Vides, Anima Christiana, castam  
& deuotam conuersationem Ma-  
tris sponfi tui Iesu Christi: Aduer-  
tis quomodo vixerit ante matrimo-  
nium, in matrimonio, & in viduita-  
te sua. Consideras exercitia illius &  
societatem qua vsa fuit. Estné igi-  
tur mirum quod virgo singularis  
esse pronuncietur, quæ in tribus his-  
ce statibus non modo fuit casta, sed  
etiam virgo inuiolata. Sacræ literæ,  
inter alias virgines Rebeccam ma-  
ximè celebrant, quam dicunt fuisse  
*puellam decoram nimis, virginemq;  
pulcherrimam & incognitam viro,*  
vsque ad id tempus quando Patri-  
archæ Isaac in matrimonium data  
fuit. eadem sacræ literæ multis lau-  
dibus extollunt inter viduas Iudith  
continentissimam: & inter coniu-  
gatas Susannam castissimam. Laus  
harum foeminarum insignis est, &

S. Hieron.  
in apolog.  
ad Pans-  
mach.

B. Virgo  
Maria cur  
virgo singu-  
laris.

Gen. 24.

Iudith 2.  
Dan. 13.

iusto illis iure debita. Nam quod puella florem virginitatis suæ illibatam conseruet, vsque ad legitimum connubium, sicuti fecit Rebecca, valdè condecens & laudabile est. Quod vidua sine querela & infamiae nota viduitatis suæ annos exigat, eximiae virtutis est. Quod coniugata se ita contineat, vt nullus de illa rumor, aut sinistra suspicio in plebe spargatur, per honorificum est. Sed quid sunt omnes hæc laudes si cum B. Mariæ virginis laudibus conferantur? Quælibet harum foeminarum, vnicam tantummodo prædictarum virtutum habuit, at B. nostra virgo, simul omnibus ornata fuit, idque in altissimo, qui cogitari possit, gradu. quamobrem honores etiam & præmia omnium meretur. Castæ virgines fructum habent centesimum: viduæ sexagesimum, coniugatæ tricesimum. Nostra igitur virgo cum coniugatis fructum habet tricesimum, cum viduis sexagesimum, cum virginibus centesimum. Admirare, Anima pia,

admi-

*Dinorfi fru*

*Am casti-*

*144.*

*Matt. 13.*

admirare singularem hanc castitatem, & virginitatem in Dei matre, Domina & Magistra tua: admirare illam & exalta quantum potes, tum verbis, tum re ipsa: & ultra progrediens in tuis considerationibus, cōtemplare quomodo ipsa inter omnes maximè clemens & mitis sit.

INTER OMNES MITIS.

*De mirabili clementia & mansuetudine B. Virginis Mariae.*

CONSIDERATIO.



Singularis B. virginis Mariae puritas & castitas, evidens testimonium est mititatis & clementiae

illius. Nam si, ut S. Bernardus ait, carnis concupiscentiae clementiam & mansuetudinem impugnant: castitas utique quae carnis cupiditates reprimit, easdem defendit & conservat. Quando igitur, Anima Christiana, confessa es B. Mariam esse virginem singularem: ex eodem intelligere potuisti, illam etiam esse

*S. Bernardus  
serm. 44.  
in Cant.*

*B. virgo  
est mitissima*